

ŷ. *Ejicere*. n. 5; Hyacint. Donatus, t. I, tract. VIII, q. 52, n. 199; Pelliz. tom. II, tract. VIII, q. 8, n. 32. et seqq. Recentiores communiter. Ratio est, tum quia nemo ex delicto suo debet reportare commodum. arg. c. *Cognoscentes. de Constit. c. Sedes. c. Plerumque de Rescript.*; tum quia juxta ipsos adversarios, ejecti sunt et manent adhuc veri religiosi, tenenturque præter castitatem, et paupertatem, etiam ad obedientiam; atqui vi hujus tenetur religiosus non tantum præceptis superiorum pro tempore datis, sed etiam legibus et statutis, ab iisdem superioribus in perpetuum sub culpa latis obedire; ergo; tum quia religio, dum ejicit professum, non intendit eum liberare ab obligationibus regulæ, sed tantum providere bono communi religionis, et evitare scandalum. Accedit, quod juxta ipsosmet adversarios religiosus, ad tempus damnatus ad tremeas, teneatur ad omnia in conclusione memorata; ergo et ejectus.

243. *Solvitur objectio.* — Nec dicas disparitatem esse, quod hic in perpetuum, ille vero ad tempus ab ordine pellatur. Nam contra est, quod etiam ejecti hodie non in perpetuum, sed tandiu tantum arceantur ab ordine, donec emendent: emendatione enim secuta (ad quam ejecti quoque obligantur) tenetur religiosus iterum redire, et religio eum recipere, juxta dicenda infra n. seq. Accedit, quod licet religiosus factus episcopus perpetuo maneat extra ordinem, tamen juxta communem etiam adversariorum, teneatur ad posita in conclusione.

244. *Ejecti tenentur se corrigere, et ad ordinem redire.* — Quæritur V. An religiosus ejectus teneatur se corrigere ad hunc finem, ut iterum ad religionem redire possit, et debeat? Resp. Affirmative. Sanchez, lib. VI, *Moral.* cap. ix, n. 25; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VIII, q. 25; Layman, Pirhing, h. t. n. 201. et communis aliorum contra Navarrum, lib. III, consil. 80, h. t.; Roderiquez, tom. I, q. 30, a. 31, arg. c. fin. h. t. ubi statuitur, quod ejecti ad redeundum cogi debeant, et inobedientes excommunicari, atqui hoc geri non posse, si ipsi redire non tenerentur; tum quia ejecti manent adhuc veri religiosi obligati ad tria vota, et observanda statuta sub culpa obligantia; ergo. Accedit, quod alias ex delicto suo commodum reportarent contra l. *Itaque. ff. de Fortis.*

245. *Religio tenetur emendatos iterum reci-*

*pere.* — Quæritur VI. An religio religiosum emendatum, petentemque suscipi, teneatur iterum recipere: et non petentem, vel venientem quærere? Resp. Affirmative, nisi regula specialiter obstet prohibendo, ne aliquando ejectus denuo recipiatur: vel nisi ex ejus receptione scandalum, vel aliud malum grave religioni timeatur. Miranda, tom. I, q. 52, a. 7; Hyacint. Donatus, loc. cit. q. 26; Pirhing, h. t. n. 103; Barbosa, in c. fin. h. t. n. 8. et communis aliorum, arg. c. fin. h. t. ibi: « Statuimus, ut præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum concilii generalis, seu patres abbates, seu priores, fugitivos et ejectos de ordine suo recipiant sollicitè annuatim, qui si monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, abbates, seu priores eorum monitione prævia per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salva ordinis disciplina: quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideat, ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque scandalo fieri poterit, aliquin in aliis religiosis domibus ejusdem ordinis ad agenda ibi poenitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. »

246. *Solvitur objectio.* — Nec dicas, dictum c. fin. de injuste ejectis loqui. Nam contra est; tum quia indistincte loquitur; ergo indistincte intelligendum est, arg. l. *De pretio. ff. de Publician.*; tum quia decretum Urbani VIII. n. 227. citatum de juste ejectis loquitur, et tamen § 41. dictum c. fin. ad propositum allegat, et de novo confirmat: imo de juste ejectis etiam intelligendum esse expresse declarat, « dummodo (addit) tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis sacra Congregatio serio obligavit. » Ratio est, quia cum juxta claram juris dispositionem teneatur nolentem revocare et recipere, multo magis tenebitur redeuntem emendatum suscipere. Accedit quod subsecuta emendatione ordinarie cesset ejectionis ratio, finis, et causa. Plura de ejectis qui cupit, legat apud Mirandam, tom. I, q. 52. per totum, Roderiquez, tom. I, q. 3; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. III, per totum, Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. viii; Fagnanum, in c. fin. h. t. et alios.

247. *Fugitivi religiosi, qui?* — Quæritur VII. Quinam sint, et vocentur religiosi fugi-

tivi, et apostatæ? Item quid juris de iis? Resp. I. Fugitivi proprie loquendo sunt ii, qui sine licentia superiorum ad tempus e monasterio recedunt, cum animo iterum revertendi. Sylvester ŷ. *Apostata.* q. 4; Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. viii, n. 2; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VII, q. 4; Roderiquez, tom. I, q. 30, a. 4; Pirhing, h. t. n. 186. et communis aliorum, arg. l. *Quis sit fugitivus. ff. de Edilit. edict.* Inter quos regulariter, ac de jure communi licet non numerentur sine licentia e monasterio fugientes ad superiorem majorem cit. l. *Si quis fugitivus*, et propterea etiam recurrens ad principem de jure communi non puniatur, § *Sit tibi quoque*, novell. 17. Tamen hodierno jure hi quoque fugitivis annumerantur, arg. *Concil. Trident.* sess. 25. *de Regular.* cap. iv. ibi: « Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; qui vero sine prædicto in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinario locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. »

248. *Sunt tales etiam illi, qui prætextu ad superiores, vel Romam pergendi discedunt e conventu.* — Amplia, etiamsi ad sedem apostolicam pergere se dicat, ut patet tum ex constitutione Sixti V. *Cum de omnibus.* quæ est 71. Constitutio dicti pontificis, et *Ad Romanum spectat*, eidem constitutioni annexa apud Cherub. tom. IV; tum quia ex decretis Clementis VIII. et Urbani VIII. in *Bullario Cherub.* tom. III, constit. 9, Clemen. VIII. et tom. IV, constit. 28. Urbani VIII. ubi insuper statuitur, ut nullos fratres permittant superiores Romam venire, nisi prius a generali, et protectore licentiam in scriptis impetraverint, quam tamen licentiam etiam provinciales dare possunt, sed non nisi in causa communi totius provinciæ; ex novo decreto apposito ad finem constitutioni Urbani VIII. *Sacra Congregatio*, quæ est n. 28.

249. *Etsi injuste vexentur a superioribus.* — Et licet hæc decreta concilii Tridentini aliqui cum Pirhing, h. t. loc. cit. limitent in casu; quo religiosus injuste vexatur, et inique tractatur a suo superiore; tamen etiam in hoc casu censendus est fugitivus, nisi in scriptis licentiam discedendi habeat, vel probare possit, quod licentiam petierit, et tamen non obtinuerit, prout expresse statuit Sixtus V. in citata constitutione *Ad Romanum spectat.* § 20. ibi: « Quod si dicerent, se ad

apostolicam Sedem confugere ob gravamina a suis superioribus sibi illata, et ideo ab ipsis superioribus licentiam, et litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, et per superiores negata constiterit. » Quam constitutionem nec a Tridentino, nec ab alio pontifice revocatam fuisse, bene advertit Hyacint. Donatus.

250. *Viri noti, et a suspicione alieni non indigent obedientia, seu licentia scripta.* — Cæterum licet ex textu Tridentini, et bullis citatis pro fugitivo haberi debeat quivis religiosus e conventu suo discedens, nisi licentiam in scriptis exhibeat; tamen hoc limitatur in casu, quo « discedens ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omnino dubitationi, aut suspitioni locus relinquatur, » prout expresse limitat ipse Sixtus V. in citata Bulla *Cum de omnibus.* Quod idem repetit in constitutione *Ad Romanam spectat.* ibi: « Nisi satis cognitus sit: » ut proin indiscrete agant ii superiores locales, qui a viro omnibus noto, et omni exceptione majori similem licentiam exigunt, multo magis, si eundem ut fugitivum tractare volunt.

251. *Apostatæ qui dicantur?* — Resp. II. Apostatæ proprie ac strictè loquendo sunt, qui a monasterio, vel religione discedunt animo totaliter deserendi ordinem, et non amplius redeundi ad illam. Sanchez, lib. VI, *Moral.* cap. viii, n. 2; Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. viii, n. 43; Roderiquez, tom. I, q. 30, a. 4; Pirhing, h. t. n. 186. Nec refert, an cum, vel sine habitu discedat, ut bene notant, doctores citati, et Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 2; Pignatell. tom. VII, consult. 68, n. 5. et alii. Nam sicut « Habitus non facit monachum, sed professio regularis, » c. *Porrectum.* h. t. ita retentio ejusdem non facit, quod dicatur in religione manere, ut æqualiter fiat dissolutio, et colligatio vinculi, l. *Nihil eam naturale. ff. de Reg. jur.* Accedit decretum Clementis VIII. *de Reservatione casuum*, ubi *Apostatam* vocat, et reservat, sive habitu retento, sive dimisso fiat. Hinc apostasiæ ratio formalis in hoc solo constitit, quod « sine animo revertendi fit discessus a religione: » ut proin ille, qui animo revertendi discedat proprie apostata non sit, sed fugitivus. Et dicitur notanter in conclusione apostatæ proprie, quia improprie et minus strictè loquendo, etiam fugitivi

pro apostatis habentur, et ut tales tractantur, et puniuntur in statutis nostris generalibus cap. II. § 8. *de Apostatis.*

252. *Obligantur ad omnia, ad quæ existentes in monasterio.* — Quæritur VIII. Quæ sint obligationes apostatarum, et fugitivorum? Resp. Tenentur non tantum ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones regulares sub peccato obligantes. Communis ac certa, patetque clarum ex dictis a. n. 240; tum ex eo, quod penitus nullo titulo et jure ab aliquo dictarum obligationum sint exempti; nec se ipsos inique discedendo eximere valeant. Accedit, quod alias ex iniquitate sua commodum reportarent contra I. *Itaque. ff. de Furtis.* Tenentur insuper sub peccato mortali sine mora redire, ita ut semper, et tandiu versentur in statu peccati mortalis, donec redeant.

253. *De jure communi ipso facto sunt excommunicati fugitivi et apostatæ, si habitu dimisso fugiunt.* — Quæritur IX. Quæ sint pœnæ fugitivorum, et apostatarum? præsertim an sint ipso facto excommunicati? Resp. I. Si habitu dimisso discedunt, sunt ipso facto excommunicati. Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 20; Abbas, in c. 2. *Ne clerici, vel monachi.* in 6. et ibi Ancharanus, Joan. Andreas, cum communi aliorum, arg. c. *Ut periculosa.* 2. in 6. *Ne clerici, vel monachi,* ibi: « Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis professus temere habitum dimittat, etc. Si quis autem temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. »

254. *Secus si habitum retinent.* — Resp. III. Qui habitu retento fugiunt, aut apostatant, de jure communi antiquo, ipso facto non sunt excommunicati, Glossa in c. 1. *†. Apostatæ de Tempor. ordination.* in 6; Pelliz. tom. II, tract. VIII, cap. VIII, n. 49; Abbas, in c. fin. n. 2. *de Apostas.*; Sanchez, lib. VI, *Moral.* cap. VIII, n. 20; Roderiquez, Sylvester, Hostiensis, cum communi: quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. Nec enim textus c. *Ut periculosa.* 2. *Ne clerici, vel monachi,* in 6. quem quidam in contrarium allegant, quidquam probat, utpote illos solos tangens, qui habitu dimisso discedunt, ut legenti patet. Ex quo etiam probatur, quod etsi cum habitu fugiens ipso facto non sit excommunicatus, tamen excommunicationem ipso facto tunc

incurrat, quando post discessum, habitum animo vagandi, vel apostatandi dimittit. Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 6. et alii.

255. *Jure speciali etiam hi sunt excommunicati.* — Resp. IV. Vi juris specialis, et specialium privilegiorum ferme cujusvis religionis professus fugitivus, vel apostata sive habitu retento, vel dimisso, excommunicationem ipso facto incurrit. Cassarub. in *Compend.*, tit. *Fugitivus.* Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VII, q. 25. ubi cum Cassarub. plura similia religionum privilegia, et jura, bullasque pontificias adducit, Pelliz. loc. cit. ubi pariter simile pro Societate JESU allegat, et communis.

256. *Aliæ pœnæ apostatarum.* — Resp. V. Præter alias pœnas de jure communi etiam sequentes incurunt apostatæ. I. Quod suscipiens in apostasia ordinem sit suspensus, c. fin. *de Apostat.* II. Apostatæ sunt irregulares, can. fin. dist. 50. et c. *Cum illorum. de Sentent. excomm.* III. Quandiu manent in apostasia non gaudent privilegiis religionis, cui subjici nolunt, arg. *Concil. Trident.* sess. 25, *de Regular.* cap. XIX, ibi: « Interim nullo privilegio sui ordinis juvetur. » IV. Illi, qui sine legitima licentia Romam pergunt, specialiter voce activa et passiva benedictionis privati existunt. Plura de pœnis apostatarum vide apud Sanchez, loc. cit.; Hyacint. Donatum, tom. I, tract. VI, q. 20; Roderiquez, Mirandam, tom. I, q. 51; Lezanam, Pellizar. tom. II, tract. VIII, q. 8, sect. 3. et alios.

257. *Recipientes aut occultantes fugitivum, vel apostatam, peccant graviter, et sunt excommunicati.* — Quæritur X. An, et qualiter peccent? Quibusque pœnis subjaceant recipientes, retinentes, aut occultantes apostatam, vel fugitivum? Resp. Eos peccare mortaliter, et ipso facto incurere excommunicationem. Patet ex pluribus constitutionibus pontificiis, quas vide apud Cassarub. in *Compend. privileg.* *†. Apostata ab ordine;* Hyacint. Donatum, loc. cit. q. 22; Mirandam, tom. I, q. 51, a. 2, conclus. 2, ubi inter alia in favorem ordinis nostri refert constitutionem Innocentii VIII. qua statuit, et ordinavit, « ut delincentes quoscunque, minores fratres e suis conventibus sine licentia suorum prælatorum recedentes, sint ipso facto excommunicati. »

258. *Potestas religionis erga fugitivos et apostatas.* — Quæritur XI. Quæ sit potestas,

et obligatio religionis erga apostatas, et fugitivos? Resp. I. Religioni, ac superioribus ejus competit potestas apprehendendi, et puniendi apostatam, vel fugitivum, ubicunque etiam extra territorium eum deprehenderit, invocato quoque, si opus est, brachio sæculari, Roderiquez, tom. I, q. 30, a. 6; Miranda, tom. I, q. 51, a. 3; Pelliz., loc. cit. n. 52; Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 17, qui plura pro conclusione afferunt privilegia et constitutiones pontificias. Pariter habet potestatem eosdem de novo excommunicandi, si redire nolint, textu expresso c. fin. h. t.

259. *Obligatio religionis erga apostatas et fugitivos.* — Resp. II. Superiores religionum tenentur fugitivos, et apostatas conquirere, et revocare, eosque vel sponte, vel coacte venientes recipere. Omnes, textu expresso c. fin. h. t. ibi: « Ne religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurant, et sanguis eorum de prælatorum manibus requiratur, statuimus, ut præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum concilii generalis, seu patres abbates, seu priores, fugitivos suos et ejectos ex ordine suo requirant sollicitè annuatim. » Et quamvis non desint docentes, hoc c. fin. h. t. consuetudine contraria fuisse abrogatum. Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. IX? Pirhing, h. t. n. 193. Nihilominus melius sentire videtur Fagnanus, in cit. c. fin. h. t. dicens, consuetudinem hanc esse corruptelam, utpote contra jus divinum militantem; cum quivis pastor jure divino teneatur, oves pascere, et errantes pro possibili reducere. Nec tamen necesse est, nec sufficit annuatim id facere, sed toties, quoties opus est, et occasio spesque inveniendi salvis ordinis constitutionibus adest. In quo puncto ut plurimum attendendum erit ad cujusvis religionis statuta. Nostra disponunt de eo cap. II, § 8. (ADNOTATIO X bis.)

## § IX.

## DE TRANSEUNTIBUS AD ALIAM RELIGIONEM.

260. *Transire de una religione ad aliam de facto ob specialia privilegia pauci valent.* — Quamvis de transeuntibus ad aliam Religionem multa scribant doctores, præsertim Roderiquez, tom. III. *Quæst. regular.* q. 52. per triginta articulos, Miranda. tom. I, q. 31, per

viginti quatuor articulos, Pelliz, tom. I. tract. III. cap. v. sect. 3; Pirhing, h. t. per totam sectionem IV. et alii; nihilominus, quia hodie fere omnes religiones, paucis exceptis, habent privilegia, vi quorum prohibetur eorum professis, ne absque speciali licentia Papæ ad aliam religionem transeant, ut bene advertit Hyacint. Donatus, tom. I, tract. VI, q. 22, et plura hujusmodi privilegia refert, cit. t. I. tr. 5, q. 45. notaturque in statutis nostris generalibus cap. II. § 1. n. 22. atque propterea receptio aliorum religiosorum dissuadetur illis verbis: « Cavendum est præterea, ne quisquam alterius religionis professus, ad nostrum ordinem recipiatur, quamvis habeat facultatem suorum superiorum, ne forte contra dispositiones apostolicas fieri contingat: cum jam fere omnes ordines privilegiis apostolicis gaudeant, ne eorum alicui ad aliam religionem transire liceat? » Hinc in materia hac in praxi amplius, vel nonnisi rarissime occurrente diu nos non detinebimus, afferemus tamen ea, quæ pro substantia scitu necessaria videbuntur.

261. *Quamvis de jure communi id fieri queat.* — Quæritur I. An religiosi legitime professi possint de una religione ad aliam transire? et quæ conditiones ad talem transitum requirantur? Resp. I. Loquendo de jure communi certum est posse religiosos professos de una religione ad aliam transire, si requisitæ de jure concurrant conditiones. Omnes, ob clara jura c. *Licet.* 18. h. t. Concordat c. 7, eod. can. 3, caus. 19, q. 3, etiam intellige de monialibus, textu expresso can. 1, caus. 20, q. 4.

262. *Ut tamen talis transitus rite fiat requiritur I. ut ex bono fine fiat.* — Resp. II. Ut autem transitus licite fiat, requiruntur sequentes conditiones. I. Ut non fiat ex inconstantia, levitate, vel temeritate, vel ex ira, passione inordinata, sed ex bona sanctaque intentione ac fine, zelo v. g. majoris perfectionis, cura securius salvandi animam, desiderio evitandi pericula transgressionum in sua religione forsitan plus justo laxa, etc. arg. cit. c. *Licet.* h. t. ibi: « Ne quis ex temeritate et levitate. » Sanchez, lib. VI. *Moral.*, cap. XVII, n. 2, et amplius n. 11 et 12. ubi etiam notas ponit, ex quibus conjecturare licet professum non ex bono zelo, sed ex levitate, vel alia illegitima causa transire, v. g. si rixæ præcesserunt, si transitum minatus est, Fagnanus, in cit. c. *Licet.* h. t. n. 30. et seqq. eoque teste omnes.